Jahresbericht

über

das Königliche Katholische Gymnasium

in

Conitz

in dem Schuljahre 1848—1849,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung am 23. August

und

zu den Schlußfeierlichkeiten am 24. August c.

ergebenst einladet

der Director des Gymnasiums

Dr. F. Brüggemann.

Francisci Peters, phil. dr., de peccati in tragoediis Sophocleis vi et natura ad Fr. Brüggemann, phil. dr., gymn. Conic. dir., commentatio.

Conitz.
Gedruckt in der Buchdruckerei bei F. F. Harich.

1849.

FRANCISCI PETERS
PHIL. DR.

DE PECCATI IN TRAGOEDIIS SOPHOCLEIS VI ET NATURA

AD

FRANCISCUM BRUEGGEMANN
PHIL. DR. GYMN. CONIC. DIR.

COMMENTATIO.





CONICII.
TYPIS F. F. HARICHII.
MDCCCXLIX.

Δέδοικα γάρ, μὴ τοὺς καθεστῶτας νόμους
ἄριστον ᾖ σώζοντα τὸν βίον τελεῖν.

Sophocles.

Ex quo tempore in hoc gymnasio, Vir praestantissime, cui cum maxima omnium utilitate praees, munere iuventutis ad humanitatem informandae fungor, tanta me perpetua benevolentia amplexus es, ut gratum meum animum Tuorumque erga me meritorum memorem coram omnibus Tibi aliquando ut praestare possem, vehementer semper optarem. Itaque quum mihi mandatum esset, ut aliquid conscriberem, quod annalibus gymnasii nostri adderetur, faciendum mihi putavi, ut hanc primam meam huiusmodi scriptionem ad Te potissimum mitterem. Retuli autem tempus meum, quod reliquis meis officiis superesset, ad Sophoclem. Qui quid de diis statuisset, quum ante hos quatuor annos, ut ad gradum Doctoris philosophiae in Academia Regia Monasteriensi rite ascenderem, Theologumenis Sophocleis explicassem, nunc, quid in tragoediis huius poetae unius omnium maxime pii inesset ad integritatem morum commendandam, constitui, adolescentibus nostris bonarum litterarum studiosis proponere. Nam quum nullum fere sit poesis genus, quin aliquam vim habeat aut ad amorem virtutis aut ad odium vitii vel excitandum vel confirmandum, tum huiusmodi munere tragoedia fungitur proprio quodam et suo. Quod munus Aristoteles, sapientissimus harum rerum existimator, in eo libro, qui est de arte poetica, ita descripsit, ut tragoediam miseratione et timore harum et similium perturbationum purgationem efficere diceret. Ac Sophocles quidem quum res hominum excellentium adversas, fabulis et carminibus maiorum celebratas, arte sua illustraret, non magis has res ipsas, quales quantaeque essent, descripsit, quam originem earum omnemque rationem diligenter persecutus est. Ita harum rerum magnitudine et atrocitate, qui spectabant, vehementer illi quidem commovebantur et quum ad misericordiam, tum multo magis etiam ad timorem inducebantur, ne sibimetipsis possent accidere mala, quibus homines in scena premi viderent; sed quum intellexissent, haec mala non

temere exorta, sed provocata esse ab hominibus ipsis, qui suum potius arbitrium, quam consilium deorum immortalium sequi mallent, facile perspiciebant, quid, ut ipsi bene beateque viverent, sibi cavendum esset, quid studendum, ita ut, timore suo soluti, hoc sibi persuaderent, quamvis magnae essent calamitates, quas in scena praesentes spectassent, tamen maius etiam malum peccatum esse, quo illae tantae calamitates essent concitatae. Hoc igitur peccatum quale sit, ita docere conabor, ut primum, quid de quaque tragoedia statuendum videatur, exponam, deinde de universa peccati in tragoediis Sophocleis vi et natura disputem.

Initium fiet ab *Aiace*. Quum Achilles mortuus esset, de armis eius certamen institutum est. Tradita sunt Ulixi. Quam rem Aiax, Telamonis filius, qui unus omnium secundum Achillem semper fortissimus et fuisset et habitus esset, aegerrime tulit. Iniuriae sibi illatae ut poenas repeteret, Ulixem et Atridas interficiendos esse statuit. Itaque noctu tentorio egressus, quum iam ad ipsos inimicos paene processisset, in furorem conversus, a proposito aberravit. Deductus est in pascua, ubi pecudes et armenta, quae Graeci praedae nomine abacta custodiebant, non aliter, ac si in caede inimicissimorum suorum versaretur, partim trucidavit, partim vinculis constricta domum abduxit. Sed non ita multo post, furore sedato, in quantam malorum acerbitatem irruisset, intellexit. Et inimicorum irrisionem, quae quanta futura esset, semper cogitabat, veritus, et deorum, quibus se invisum esse sentiebat, auxilio desperato, neque blandissimis suorum amicorum et Tecmessae, quae captiva eademque uxor Aiacis erat, precibus adhortationibusque commotus, optimum esse ratus, ex vivis excedere, postquam amicos, qui eum retinere studerent, fefellit, ipse sibi manum intulit. Tecmessa prima occisum maritum invenit. Ploranti et Aiacis et suam et filioli Eurysacis fortunam acerbissimam classiarii Aiacis adsunt. Denique Teucer venit, qui, quum expeditionem contra Mysos haberet, abfuerat. Is fratrem postquam amantissimis querelis amplexus est, iusto funere efferre instituit. Quod quominus fieret, primum Menelaus, deinde ipse Agamemno impedire conati, denique ab Ulixe ipso admoniti, ne quid superbius in mortuum committerent, qui vivus Graecorum rebus summae saluti fuisset, Teucro, ut fratrem sepeliret, permiserunt.

In hac re illustranda Sophoclea fabula, quae inscribitur Aiax, versatur. Iam quoniam innocentem hominem et integrum pessumdari crudeliter, non est ferendum, quaeritur, quid Aiax commiserit, ut tanta, tam atroci, tam ignominiosa calamitate opprimeretur. Commissum esse ab Aiace grave aliquod peccatum, iam ab initio fabulae Sophocles spectatores docet, quum ipsam Minervam, sapientissimam et castissimam Atheniensium deam, loquentem inducat. Quae Ulixem, ad tentorium Aiacis,

num verum sit, quod vulgo dicant, ab ipso pecudes interemptas esse, circumspicientem, certiorem facit, a se Aiacem, iam duces ipsos trucidaturum, in furorem coniectum esse et ad pecudes aversum. Et ipsum Aiacem ex tentorio provocat, ut, quanto mentis errore adversarius, qui antea fortissimus et optimus fuerit, ducatur, quantaque sit deorum immortalium potentia, Ulixes praesens intelligat, admonetque, postquam ille abiit, ne unquam aut in deos aut in homines insolenter se gerat 127 sqq. (Dindorf. Poet. Scen.) Neque Aiax ipse, mentis compos factus, ignorat, Minervam esse, a qua infamia oppressus pereat 401. 450, seque diis adeo invisum esse uxori obsecranti et per deos obtestanti respondet, nihil ut his iam se debere libere profiteatur 589. Sed quid Aiax peccaverit, Calchantis verbis exponit nuntius. In bellum enim profecturus, quum a patre admoneretur, ut fortis esset, sed deorum se commendaret fidei, inani superbia elatus, sibi divino auxilio opus esse negaverat 762 sqq. Idem quum ab ipsa Minerva ad fortiter pugnandum incitaretur, deam aliis adesse iusserat; sua se sponte hostem propulsurum esse 771 sqq. His rebus implacabilem Minervae sibi iram conciliaverat, quod, quae hominem decerent, non sentiret 761. 777. Homines enim quamvis ad multa et praeclara efficienda apti sint multisque ac praestantibus virtutibus excellant, tamen, non omnia a se fieri posse, sibi persuadeant, sapienter diffidant suis rebus, modeste et cum deorum fiducia, quidquid suscipiant vel suscepturi sint, aggrediantur. Nam dii immortales a superbis hominibus insolentibusque poenas repetunt gravissimas 758. Frustra igitur amici, postquam Aiax, quasi ex miseriarum fluctibus emergens, se diis cessurum et operam daturum esse, ut piaculum conceptum expiaret, pollicitus est, laetitiae se dant gaudioque exsultant 646 sqq. 693 sqq.; iis rebus, quas nuntius attulerat, ad quaerendum ducem suum exagitati, hunc sua manu interfectum reperiunt. Qui sicut spem suam, fore, ut Aiax servaretur, in eo potissimum collocaverant, quod iturus esset ad deos, quos neglexerat, rite colendos 712, sic iam, eundem deorum ira confectum iacere, sibi facile persuadent 950. 970.

Fuerunt, qui Sophoclem, quod fabulam ultra Aiacis mortem extendisset, vehementer vituperarent. Quod perquam inique factum esse mihi quidem videtur. Nam Sophocles quum hoc sibi videatur proposuisse, ut, quantopere homines deceret, in omnibus rebus modeste et temperanter versari neque unquam deorum praesidio suas res non committere, doceret, postquam ostendit, quanto exitio Aiaci superbia sua fuisset, iam ad explicandum pergit, quam laetae ac prosperae sint res eorum, qui se suaque deorum arbitrio permittant. Ne alienum quidem erat, ostendere, quantum interesset inter iram hominum, qui iniuria illata aut laesi sunt aut laesi

sibi videntur, et inter eam iram, qua Minerva, dea sapientissima, in Aiacem commovebatur. Quae omnia Sophocles prudentissime explicavit, quum illam de Aiace sepeliendo controversiam inter Atridas et Teucrum institueret. Primum enim Atridae quum Aiacem, qui, dum in vivis erat, facile iniurias a se suisque propulerat, iam prostratum viderent, omnia poenae exempla in eum edere statuerant. Atque ut fieri solet ab hominibus, ut, quae iniuste facere cupiunt, ea speciosis causis undique anquisitis exornent et tanquam honesta ac laudabilia aliis probare studeant, Menelaus multus est in explicandis iis rationibus, quas sequi debeant, qui rempublicam salvam esse velint. Quae quum per se sint sane honestae, 1091, iisdem tamen turpissime abutitur, ut animum suum in inimico mortuo puniendo expleat. Quum nihil effecisset, a Teucro contumeliose dimissus, Agamemnonem arcessit. Qui a fratre instigatus et mendaciis in Teucrum exacerbatus adeo ira abripitur, ut non solum obliviscatur, quantam salutem Aiax rebus Graecorum iam desperatis attulerit, verum ne insigne quidem ullum unquam factum, quo reliquis praestaret, ab eo editum esse concedat. Neque vero quae Teucer respondet, ad controversiam componendam satis accommodata sunt. Ita quum periculum esset, ne Aiax, a sepultura prohibitus, etiam proelio inter fratrem et inimicos conserto nefarie foedaretur, Sophocles Ulixem iterum in scenam introduxit. Qui primum quasi Minervae partes sustinet. Adhortatur enim Agamemnonem, ut fortem (1319) illum virum mortuum iniuria ne afficiat. Qua quidem re efficitur, quam vere a Calchante dictum sit, per unum tantum diem Aiacem ira Minervae agitari 756. Id quanquam a poeta positum esse video, quo gravius periculum, quod Aiaci instaret, iis, qui spectabant, describeret, tamen magis etiam valet ad misericordiam animumque placabilem deorum demonstrandum. Deinde vero Ulixes etiam suam rem agit 1367. Omnes suas res arbitrio Minervae permiserat seque totum ad eius nutum dederat 35. Quare Minerva praemiis eum affecerat amplissimis: arma Achillis acceperat. Sed maiore etiam gratia a diis pii exornantur. Efficiunt enim, ut, a quibus colantur, ii in omnibus rebus iuste et temperanter ac moderate versentur neve fines eos excedant, „quos ultra citraque nequit consistere rectum.“ Ulixes igitur quum Agamemnonem ab iniuria Aiaci mortuo inferenda prohibuisset, Teucro etiam socium ad funus fratri apparandum se offert 1376. Ita quod ipsa Minerva Ulixem admonuerat:

τοὺς δὲ σώφρονας
θεοὶ φιλοῦσι καὶ στυγοῦσι τοὺς κακούς

133, in Aiace et Ulixe utrumque apertissime ostenditur, et a Sophocle, quod ei propositum fuisse iam supra attigi, sapientissime ad finem perductum est. Haec

enim summa Aiacis Sophocleae esse sententia videtur: Ne nimis confidant homines viribus suis; quamvis enim validi esse sibi videantur, cito gradu deiiciuntur et quum fortuna reflavit, affliguntur 131. Umbra sumus, quotquot vivimus 125, neque, quid futurum sit, quisquam est, qui prospiciat 1417. In diis omnis fiducia reponenda est: quibus qui obsequitur, salvus est, qui insolenter adversatur, perit.

Deinceps de *Electra* disputare placet. Quis est, qui nesciat, gens Pelopidarum quot, quam atrocibus, quam tetris facinoribus commaculata sit? Ex quo enim tempore Pelops Myrtilum per dolum interfecit, nulla turpitudo ab hac gente abfuit 508 sqq. Agamemno quidem quum, Troia capta, domum redisset, a sua ipse uxore Clytaemnestra trucidatus est. Quae adiuta est ab Aegistho, fratre patrueli Agamemnonis, qui Clytaemnestram, absente marito, corruptam in matrimonium duxerat. Orestes filiolus ne una cum patre occideretur, ab Electra sorore servo cuidam fideli traditus, in Phocenses asportatus erat, ubi ab hospite educaretur, ut aliquando ab interfectoribus patris poenas repeteret. Quas poenas quomodo Clytaemnestra et Aegisthus dederint, Electra Sophoclea docetur. Quae quidem res difficillima erat tractatu. Nam matrem a suo ipsam filio interfici, asperum est, durum, contra naturam. At vero quum iustitia hoc posceret, ut, qui gravia patrassent, paterentur gravia, admirabili arte usus est Sophocles effecitque, ut, quam rem perhorrescebant, eidem ipsi omnes, qui spectabant, faverent eamque ad finem perduci quam maxime optarent. Primi enim in scenam prodeunt Orestes cum Paedagogo suo et Pylade amico. Adest, ut caede caedem in patre commissam vindicet, ab ipsis diis missus 70. Quod quum Phoebus ut furtim et cum dolo efficeret, praecepisset, consilio et pro tempore et pro re capto, discedunt. Electra inducitur et primas partes agit, ut, quanta sit immanitas criminis ab Clytaemnestra et Aegistho admissi, spectatores coram videant sibique persuadeant, nullis poenis non dignos esse, qui talia perpetraverint. Electra enim et fidam patris interfecti memoriam colit nec interfectoribus cedit et potius omnes labores, dolores, angores, cruciatus perferre, quam impiae matri et Aegistho adultero morem gerere et facilem se praebere mavult. Conqueritur primum sola, deinde cum Choro, omnes suas miserias; patrem deplorat, matrem detestatur; se vitam degere solam, omni iucunditatum genere destitutam, sine marito, sine liberis, sine ullo amico; sibi nec cultum esse nec victum, qui quidem deceat; in uno Oreste fratre omnes suas spes repositas esse 86 — 324. Hi dolores quum Electram noctu atque interdiu angant et conficiant, ne eos quidem quidquam movent, ad quos vel maxime pertinere debebant. Ipsa enim soror Chrysothemis Electram, quod tam immoderate ferat, quae mutari non possint, graviter reprehendit. Quae quamvis necem patri illatam et turpitudinem

a matre commissam aegre ferat et ipsa, tamen ut vitam tranquille et commode degat, prudentiae ratione ducta, facile matri et Aegistho se submittit quaeque imperant, facit. Et adhortatur Electram, ut etiam ipsa, dimisso inutili dolore, cum matre in gratiam aut redeat aut saltem se redire simulet, ne maioribus, quam quibus iam affligatur, difficultatibus implicetur 328 sqq. Mater vero etiam recte occisum a se esse Agamemnonem gloriatur, qui, ut Graecis Troiam profecturis viam patefaceret, filiam suam diis immolaverit. Sed ab Electra refutata, hanc causam praetendi libidini, qua commota maritum occiderit, ut cum adultero esset, ira concitata, minatur, Aegisthum, si domum venerit, illam coerciturum esse et ad officium redacturum 516 sqq. Iam, ut et superbia Clytaemnestrae maxima appareat, et Electra tota moerore suo confecta iaceat, nuntius affert, Orestem esse mortuum. Credo equidem, neminem eorum, qui rem in scena praesentes spectabant, fuisse, quin cum Electra fleret, gemeret, desperaret. Et quum Chrysothemis inferias in sepulcro patris impositas invenisset et ab Oreste fratre eas impositas esse ipsumque vivum adesse et sibi persuasisset et Electrae persuadere vellet, neminem puto fuisse, qui, quum Orestem vivere et adesse ipse iam vidisset, tamen non potius ploranti Electrae vellet, quam suis oculis credere. Quot vero et quantos spectatorum fletus fletu suo Electram excitasse putas, quum ipsa urnam, quam qui afferebant, Orestis mortui cinerem continere simulabant, amplexa, immaturam fratris dilectissimi mortem verissimo dolore ploraret? quanta deinde omnes laetitia exsultasse, quum idem ipse, qui Orestis mortui reliquias attulisse videbatur, vivus vidensque Orestes esse reperiretur? Equidem quotiens hanc partem Electrae Sophocleae lego, facere non possum, quin cum Electra fleam, primum dolore, deinde laetitia commotus.

Ita poeta summus arte sua efficit, ut omnium animi exasperati sint in Clytaemnestram et Aegisthum ab iisque pro flagitiis turpiter et insolenter admissis poenas, quas meriti sint, repeti quam maxime cupiant atque Orestem tandem aliquando adesse summopere gaudeant. Adest, ut matrem trucidet. Ad cuius rei atrocitatem leniendam Sophocles Orestem facit ad patris caedem ulciscendam ab ipsis diis missum. Electra igitur, fratre et Pylade domum intrantibus ad Clytaemnestram occidendam, ab Apolline petens, ut eos adiuvet, hoc addit:

καὶ δεῖξον ἀνθρώποισι τἀπιτίμια
τῆς δυςσεβείας οἷα δωροῦνται θεοί

1382. Atque per totam fabulam haec sententia diffusa est, fieri non posse, quin ii, qui scelera commiserint gravia, graves poenas diis rependant. Chorus Electram consolatur:

θάρσει μοι, θάρσει, τέκνον·
μέγας ἔτ' ἐν οὐρανῷ
Ζεύς, ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει

173. Idem quum audisset, Clytaemnestram per somnum viso quodam, quo Agamemnonem sibi videre videbatur, exterritam, diis sacra facturam esse, sperat, fore, ut hoc indicium sit poenarum, quas brevi diis pro flagitiis suis datura sit 473 sqq. Qua spe deiectus, nuntio de Orestis morte allato,

ποῦ ποτε κεραυνοὶ Διός, inquit, ἢ ποῦ φαέθων
Ἅλιος, εἰ ταῦτ' ἐφορῶντες κρύπτουσιν ἕκηλοι;

823. Electrae autem tantopere persuasum est, necessario debere deos poenas repetere ab iis, qui turpiter patrem suum interfecerint, ut, nisi repetierint, pudor omnis ac verecundia hominum certo exstinguatur 244 sqq. Quae quum ita sint, Chorus Orestem et Pyladem *μεταδρόμους κακῶν πανουργημάτων ἀφύκτους κύνας* vocat Mercuriumque eorum ducem esse et caedem ab Inferis perfici dicit 1384 sqq. 1419 sqq. Et Aegisthus quum domum, ubi caedes eum manebat, rediret, ad Iustitiae certamen ruere dicitur 1441, quem in domum introducens ad caedem Orestes,

χρῆν δ' εὐθὺς εἶναι, inquit, τήνδε τοῖς πᾶσιν δίκην,
ὅςτις πέρα πράσσειν γε τῶν νόμων θέλει,
κτείνειν. τὸ γὰρ πανοῦργον οὐκ ἂν ἦν πολύ 1505.

Atque in hac ipsa sententia omnis huius fabulae vis posita est. Qui peccatum commiserunt, ab his poena repetitur. Quamvis diu sint salvi omnibusque rebus florentes, tamen et semper sunt in metu 293. 780, neque poena carebunt; quae quo diutius videtur cessare, eo gravior subito instat. Neque quidquam diis peccato magis est invisum. Quod quum sanctissimae societatis, qualis est inter coniuges, parentes, liberos, vincula dirimat, ipsi dii faciunt, ut ab coniunctissimis coniunctissimi poenas repetant. Nec peccato non efficitur, ut, qui commiserint, superbiae se dent insolenterque se gerant. Aegisthus enim, quum iam mors instaret, vehementissime in Electram invehitur 1445, seque iam, Oreste mortuo, omnibus inimicis suis gravissimum dominationis suae iugum impositurum esse minitatur 1458. At vero qui pietatem colunt et bonis rebus student, ii nec, quum ab omnibus contempti iacent, animum demittunt, et a diis ipsis denique sublevati resurgunt 1508.

Venio ad eas fabulas, quibus Sophocles res Oedipi et liberorum eius illustravit: in quibus enarrandis non temporis, quo quaeque primum fabula docta est, sed rerum, quas continent, rationem habebo. Laius Labdacida, rex Thebanorum, quum ab ora-

culo admonitus esset, ne filium procrearet; in fatis esse, ut a filio interficeretur; oraculo neglecto, filium procreavit. Procreatum in Cithaeronem montem abiecit. Sed servatus est. Corinthum delatus, a Polybo rege, qui filium non haberet, filii loco habitus est et Oedipus vocatus. Is postquam adolevit, quum casu quodam excitatus, de parentibus dubitare coepisset, Delphos profectus est, sciscitatum, quinam parentes essent sui. Quod Apollo non aperuit: iussit eum cavere, ne, patre interfecto, matrem uxorem duceret. Hoc responsum Oedipus quum de Polybo eiusque uxore Merope datum esse censeret, Corinthum non esse redeundum ratus, aliam viam ingressus est. Obviam fit seni in rheda sedenti. Cuius comites quum Oedipum via decedere cogerent Oedipusque resisteret et res ad manus venisset: et senex et comites, uno excepto, qui fugit, ab Oedipo occisi sunt. Quo facto Thebas venit. Thebanis eo ipso tempore Sphinx aenigma suum proponebat, et qui ad solvendum processissent neque solvere potuissent, hos omnes devorabat. Qua calamitate commoti Thebani, quum rex proxime vita excessisset uxoremque reliquisset viduam, ei, qui, aenigmate soluto, exsolvisset civitatem peste illa tristissima, regnum et reginam praemium proposuerunt. Oedipus, aenigmate facili negotio soluto, regina in matrimonium ducta, rex Thebanorum factus est. Fortunatus esse et sibi videbatur et civibus. Nam viatorem, quem interfecisset Delphis discedens, patrem fuisse, matremque esse, quam amplecteretur uxorem, et ipse et reliqui ignorabant. Quae tanta foeditas quomodo ex tenebris ad lucem prolata sit, Sophocles ea fabula praestantissima explicat, quae *Oedipus Rex* inscribitur. Quum enim Oedipus diu satis feliciter civitati Thebanae praefuisset et duos filios totidemque filias ex uxore eademque matre Iocasta suscepisset, a diis, qui tantum scelus iam diutius ferre non possent, gravis pestilentia in Thebanos missa est. Ad quam sublevandam Oedipus Creontem, uxoris fratrem, Delphos misit, qui deum consuleret. Consulenti Apollo praecepit, ut Laii interfectorem, qui inter Thebanos versaretur, aut occiderent aut ex finibus suis exterminarent. Qui quum lateret, Oedipus civibus pronuntiat, ut, si quis quid de hac re compertum habeat, prodat, omnibusque precibus, ad quos facinus illud pertineat, devovet; Tiresiam vatem arcessendum curat. Qui quum initio animi sui sensa aperire noluisset, Oedipi iracundia provocatus, ipsum Oedipum et Laium interfecisse et turpissima carissimorum suorum consuetudine uti arguit. Oedipus, ira incensus, quum suspicaretur, Tiresiam a Creonte subornatum haec dicere, ut se regno exueret, et vatem contumeliose dimittit et Creontem se necaturum esse minatur. Sed uxor animum eius mitigare studet. Monet, ne ullam rationem aut vatis istius aut omnino oraculorum habeat; oracula, ab hominibus callide ficta, nullam

habere neque vim neque auctoritatem; Laium enim, quem a filio suo necatum iri oraculum praedixerit, in trivio esse a latronibus occisum; filium perisse recens natum. Sed hoc ipsum Oedipum vehementissime commovet. Quem ne gravissima quidem moverat oratio Tiresiae, qui ea ipsa ab Oedipo perpetrata esse diceret, quae Apollo eum cavere iusserat, idem, postquam ira defervit, vel uno mulieris verbo, in trivio Laium interfectum esse, adducitur, ut omnem praeteriti temporis memoriam repetat. Meminit enim, in trivio a se, quum Delphis discederet, senem illum interfici. Quae cura dum eum versat, nuntius Polybum mortuum Oedipumque a Corinthiis regem creatum esse affert. Haec spes et afflictum Oedipum excitat et Iocastam, qua est levitate, ad contemnendam omnem oraculorum rationem magis etiam impellit. Quum autem Oedipus nihilominus Corinthum adire vereretur, ne fatali necessitate cogeretur, matrem in matrimonium ducere, nuntius eum ne esse quidem filium Polybi et Meropes docet. Ipse enim Oedipum puerulum a servo, quem Laius infantem in Cithaerone occidere iusserat, traditum ad Polybum detulerat. Atque Iocasta quidem, omni re plane perspecta, rebus suis desperatis, discedit. Oedipus autem tanta cupiditate originis suae exquirendae incensus est, servo illo Laii arcessito, ut non desisteret, antequam se Laii filium esse, patrem interfecisse, duxisse matrem, patrem eundemque fratrem liberorum suorum se esse reperiret. Iocasta se suspendit; Oedipus, oculis effossis, lamentis suis omnia complet.

Iam quoniam eam quaestionem instituimus, ut, quae peccati apud Sophoclem vis esset ac natura, explicaremus, in Oedipo neque animus est ad faciendum audax aut deorum spretor, qualem in Aiace esse vidimus, et plurima sunt summopere laudanda. Civium enim suorum saluti studiosissime prospicit, qui in uno rege suo omnem suam spem auxiliumque ponunt 1 sqq. Ad civium salutem expediendam nihil non tentat. Qui quod pestilentia premantur, eius rei culpam in se conferri non posse, tantopere ei persuasum est, ut Creontem, Delphis redeuntem, quae deus praeceperit, vel coram omnibus palam pronuntiare iubeat 93. Summopere studet, ut, a quo Laius interfectus sit, cognoscat 132. 216. Quo studio ad suas res inquirendas deductus, ubi, memoria praeteritae suae vitae retractata, quae Apollo se cavere iussisset, recordatus est, tantopere horum scelerum immanitate exhorrescit, ut mori quam tantam labem in se admittere malit 830. Quam labem ut effugeret, Corinthum patriam parentesque sui amantissimos, quales in eum se Polybus et Merope praebuerant, data opera vitaverat 794. Quis est igitur, quin videat, omnem peccandi libidinem ab Oedipo fuisse prorsus alienam? Neque tamen ullus unquam homo in maiore fuit scelerum turpitudine. Nimirum quod Laius pater diis invitis commisit, ut filium procrearet,

huius rei poenas, quas dii praedixerant, filius et repetivit et dedit. Quae uterque consilia ad decreta deorum declinanda inierat, ea irrita facta sunt omnia. Laius, filiolo in Cithaeronem abiecto, nullum iam periculum esse putaverat, ne, quod oraculum praedixisset, ipse a filio occideretur. Occisus est; nam fatalis quidam casus filium servavit; et occisus est, quum pater Delphos adiret, ipsum illum deum consulturus, cuius decreta in filio procreando contempsisset, filius, ab eodem deo admonitus, ne patrem necaret, Delphis abiret, id solum spectans, ut cum patre ne congrederetur. Caede perpetrata, Oedipus, quum nihil antiquius haberet, quam ut Corinthum, ubi parentes essent, ne rediret, Thebas profectus, alteram oraculi partem explevit, ut in matrimonium duceret matrem. Sua sponte igitur omnia sic evenerunt, ut imprudens et invitus eo duceretur, quo ut perveniret, divinitus constitutum erat. Iam vero Iocasta, ad quam pars magna culpae ab Laio admissae, ex qua, tanquam ex fonte quodam, omnes miseriae redundarunt, pertinebat, quum et filium interemptum esse pro certo haberet et coniugem a latronibus occisum esse audivisset, tanta levitate est, ut oraculorum aut vim aut auctoritatem esse neget ullam. A qua impietate angoribus, quibus Oedipum cruciari vidisset, deterrita, quum Apollinem, ipsum oraculorum parentem, precibus adire coepisset 911, tamen, postquam Polybum mortuum esse a nuntio Corinthiaco cognovit, non solum oraculum Laio datum illudit irridetque, verum etiam deos rebus humanis providere prorsus negat 946. 953. 973. 977. Sed qui Polybum mortuum esse nuntiaverat, idem non esse Polybi filium Oedipum, sed Laii, quem occiderat, sed Iocastae, quam duxerat, ostendit. Haud scio an nulla alia ratione oraculorum vis et auctoritas quanta sit, manifestius ostendi possit, quam qua Sophocles in his Oedipi rebus explicandis usus est. Itaque recte iudicaverunt, qui eum in hac fabula hoc propositum habuisse dicunt, ut auctoritatem oraculorum et demonstraret Atheniensibus et tueretur.

Sed quod de auctoritate oraculorum expositum est, id patet latius. Pertinet enim ad omnem providentiam ac severitatem, qua dii rebus humanis administrandis praesunt. Quae res quum ita saepe turbatae inter se dissidere ac repugnare videantur, ut non consilio gubernari aliquo, sed temere ac casu accidere facile existimentur, tamen eum exitum habent, quem dii constituerunt. Homines autem ubi rebus suis laborantibus ipsi sua sponte medelam afferre conantur, maximo errore saepissime falluntur. Qui quamvis multa sciant atque adeo difficilia explicare possint, tamen saepissime ea ipsa, quae eos scire vehementer interest, ignorant. Ut quisque esse prudentissimus videtur et sibi plurimum tribuit, ita saepe maximis erroribus ducitur, et qui reliquis salutem affert, is, in quanto ipse rerum discrimine

versetur, neque videt, neque, rerum atrocitate labefactatus, quo modo suam ipse salutem expediat, habet. Ad hanc similitudinem Oedipus quum ab antiquis illis hominibus, qui has fabulas vel invenerunt vel auxerunt, informatus, tum a Sophocle arte sua illustratus est. Caput enim harum rerum aenigma est, quod, ab Sphinge propositum, Oedipus solvit. Fuit hoc:

Ἔστι δίπουν ἐπὶ γῆς καὶ τέτραπον, οὗ μία φωνή,
καὶ τρίπον· ἀλλάσσει δὲ φυὴν μόνον ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν
ἑρπετὰ κινεῖται ἀνά τ' αἰθέρα καὶ κατὰ πόντον.
ἀλλ' ὁπόταν πλείστοισιν ἐρειδόμενον ποσὶ βαίνῃ,
ἔνθα τάχος γυίοισιν ἀφαυρότατον πέλει αὐτοῦ.

Pertinebat igitur ad hominem. Quod aenigma quum multi solvere frustra conati essent, Oedipus facillime solvit. Is, quid homo esset, sciebat, nesciebat, qui esset ipse. Reliqui, qui aenigmati solvendo frustra operam impendissent, peribant; Oedipus, cui optimum erat perire, quum tristissima quaeque ei impenderent, et gloriam aenigmatis soluti et praemia tulit. Iam Thebani eum nihil non posse confidunt. Quanquam Tiresiam tanto honore habent, ut eadem, quae Apollo videat, videre Tiresiam praedicent 284, eidem, ab rege suo teterrimum crimen confectum esse dicenti, fidem non habent neque dubitant contendere, ab Oedipo Tiresiae prudentiam, si non superari, at certe aequari 500 sqq. Hunc potissimum adeunt, vate neglecto, ut pestilentia se liberet; hunc *ἀνδρῶν πρῶτον ἔν τε συμφοραῖς βίου ἔν τε δαιμόνων ξυναλλαγαῖς* esse existimant 33. Neque vero non multum sibi tribuit Oedipus ipse. Vocat se *τὸν πᾶσι κλεινὸν Οἰδίπουν καλούμενον* 8, et quod aenigma solverit, insolenter in Tiresiam gloriatur 390 sqq. At vero hoc ipsum vates sapientissimus ei dicit perniciei contigisse, ut aenigma solveret 442, et multo gravissimum est illud:

σὺ καὶ δέδορκας κοὐ βλέπεις ἵν' εἶ κακοῦ.

413. Atque in hac caecitate omnes versantur, praeter unum Tiresiam, neque intelligunt, se „incedere per ignes suppositos cineri doloso.“ Admirabilis plane est ars, qua Sophocles effecit, ut scelerum, in quibus Oedipus erat, ingentem vim, quum iam iamque eruptura videretur, ut patefieret et illustraretur, tamen nemo cerneret, nemo ne suspicaretur quidem. Quid? quod Oedipus pronuntiat, se de interfecto Laio pariter ac de patre suo quaestionem facturum esse 264, quod Chorus interroganti nuntio, ubi Oedipus sit, respondet illud plane fatale: *αὐτὸς ἔνδον, ὦ ξένε· γυνὴ δὲ μήτηρ ἥδε . . .* 927, nonne ad unum omnes ulcus illud latens quasi manu tangunt? Sed ne sentiant, Chorum fiducia tenet, quam in rege suo repositam habet,

Oedipum iracundia, quae, a Tiresia excitata, et in hunc et in Creontem est maxima. Hanc iracundiam Sophocles reliquis Oedipi moribus sapientissime appinxit, ut demonstraret, quo vitio ad initium scelerum suorum faciendum celerrime exstimulatus esset, eodem eum diutissime retineri, quominus videret, in quanta rerum acerbitate versaretur. Crederes enim, Oedipum, ab Apolline admonitum, ne patrem occideret, nihil antiquius habuisse, quam ut ab caede omnino se abstineret. Sed vix Delphis discessit, quum levi sane iniuria ad ingentem iram excitatus, non unum, sed multos homines uno tempore trucidavit 805 sqq. Ad iracundiam accessit levitas. Quid enim levius, quam continuo post caedem perpetratam interfecti regis viduam (interfectum esse Laium, Thebani statim cognoverant 118 sqq.) uxorem ducere, quum et in suspicionem venisset, matrem, quam putaret, non esse matrem suam 780, et deus docuisset, in fatis esse, ut, patre interfecto, matrem duceret? Iam quae levitas eum ad matrimonium infelicissimum ineundum impulerat, eadem, ne intelligeret, quo statu essent res suae, impedivit. Nam quum oraculis hoc semper tribuendum esse censuisset, ut, quae crimina se vitare iuberent, ea studiosissime vitaret, denique uxoris suae levitate adductus est, ut haec ipsa oracula pro nihilo putanda et cum Polybo mortuo composita et sepulta esse opinaretur 971. Qua opinione quam graviter deiectus est! Nihil enim non factum est eorum, quae futura esse dii praedixerant; ad quae effugienda quidquid studii et operae ipse impenderat, id prorsus perdidit. Quam fallax igitur hominum spes, quam fragilis fortuna, quam inanes sint contentiones, quis magis probare potest, quam Oedipus? qui quum aenigma Sphingis solvisset, maius aenigma suae vitae non solvit, qui quum prudentissimus ac rerum peritissimus esse et sibi visus esset et ceteris, nihil vidit, nihil intellexit, qui quum civibus suis salutem attulisset, suam obtinere non potuit, neque iam, rerum suarum infelicitate perspecta, perfugium sibi ac portum aut apud superos aut apud inferos constitutum esse ausus est sperare 1371 sqq. Oculis, qui sero vidissent, quae multo ante videre debuerant 1271, ipse se privavit. In hac tanta Oedipi calamitate Chorus universam generis humani fortunam miserrimam deplorat 1186 sqq. Sed una est salus unumque refugium. Haec est pietas adversus deos. Quos qui duces sequuntur ac pie colunt, hi, ab calamitatibus tuti, tranquillam nullisque cupiditatibus turbatam vitam degunt 863 — 910.

Sed quantam dii potentiam ac maiestatem in convincendis ac puniendis Oedipi erroribus exhibuerunt, tantam suam clementiam esse ostenderunt, ut afflictum denique recrearent ac reficerent. Hic locus a Sophocle explicatus est *Oedipo Coloneo.* Oedipus quum post oculos effossos satis diu Thebis cum suis vixisset, denique patria

eiectus exsul vagabatur, comitante Antigona filia. Pervenit tandem in lucum quendam, prope Athenas in agro Coloneo situm. Hunc lucum Furiarum esse, postquam ex homine quodam Coloneo audivit, remanebat, quamvis admoneretur, ut ex loco sacro discederet. Nam deus praedixerat, miseriarum finem futurum esse, ubi primum Furiarum sedem attigisset. Homo igitur Coloneus discessit ad cives suos arcessendos, ut de hospite, qui sanctissimam Furiarum sedem adisset, iudicium facerent. Qui arcessiti, quum cognovissent, hospitem esse Oedipum illum, qui et patrem interfecisset et matrem uxorem habuisset, eum abigere coeperunt, veriti, ne quid incommodi patriae contagio eius afferret. Sed et Antigonae precibus maxime piis et Oedipi oratione, se non sine emolumento aliquo ab Atheniensibus receptum iri, commoti, omnem rem Theseo, regi suo, diiudicandam committunt. Interim, dum haec geruntur, Ismene, altera Oedipi filia, adest, patri nuntiatura, Thebanos venturos esse ad eum retrahendum; nam oraculo admonitos esse, si Oedipum aliis sepeliendum permisissent, calamitati id ipsis fore. Quibus rebus ad misericordiam commotus, Chorus (cives autem arcessiti Chori partes agunt) magis magisque in gratiam cum Oedipo redit. Amice adhortatus, quo ritu ad scelera expianda Furiis sacra facienda essent, petit, ut scelerum suorum rationem accuratius patefaciat. Roganti Oedipus ita morem gerit, ut neque scelera ab se commissa esse neget et innocentem se esse persuadeat. Sed accedit Theseus, quum animo forti, quo omnibus praestabat, tum ea, quae homines decet, temperantia ac modestia insignis. Is ab Oedipo exoratus, ut se receptum tueretur et mortuum sepulcro conderet, postquam cognovit, Oedipum receptum et in finibus Atticis sepultum Atheniensibus in bello contra Thebanos aliquando saluti futurum esse, in fidem recipit auxiliumque promittit. Itaque quum Creon venisset et primum quidem Oedipum, ut domum secum rediret, blandis verbis adhortatus esset, deinde, ubi nihil se proficere intellexit, ad vim descenderet filiasque abriperet atque ipsi Oedipo manus iniiceret, Theseus, clamore suorum excitatus, et Oedipum tuetur et filias patri restituit. Denique Polynices patrem adit: se ab Eteocle, fratre minore, et regno et patria expulsum, Argivorum auxilia ad fratrem puniendum contraxisse; orat, quoniam in oraculis sit, eos superiores discessuros esse, quos Oedipus adiuverit, ut sibi adsit, iniuriarum, quibus affectus sit, oblitus. Sed impium filium Oedipus omnibus precibus devotum dimittit. Iam omnia, quae Oedipo etiam vivo administranda restabant, administrata sunt: quum tempestas cooritur vehementissima. Quod quum a deo datum esset Oedipo signum, quo dato futurum esset, ut miseriis suis perfunctus requiesceret, Theseum arcessi iubet, ut et gratias agat et, quae opus sint, doceat. Qui postquam venit, Oedipus, cui post

oculos effossos nunquam duce opus non fuisset, ipse dux sine ullo adminiculo ad eum locum praeivit, ubi sibi e vivis discedendum esse a deo edoctus erat. Euntem Chorus bonis ominibus prosequitur. Non ita multo post nuntius affert, Oedipum morte absumptum esse plane mirabili. Nam ubi primum ad illum locum ventum esset, Oedipum piacula lavacro abluisse; deinde, tonitribus exortis, a deo ipso coram admonitum, ne moraretur, filiabus dimissis, cum solo Theseo remansisse. Filias cum comite, mediocri spatio intermisso, respexisse; sed Oedipum iam fuisse nullum, Theseum manum oculis praetendisse, quasi res, quas modo vidisset, aciem eorum praestrinxissent. Filiae in scenam redeunt, patrem carissimum amantissimo desiderio deplorantes.

Quis est, quin cernat, Oedipum ex vivis excessisse et diis immortalibus et omnibus hominibus bonis plane reconciliatum? Sceleratorum numero exemptus et diis ipsis consecratus, laboribus suis exantlatis omnibus, denique placatissima quiete fruitur. Sed ut omnem rationem, quam Sophocles in hoc mollissimo carmine secutus est, accuratius proponam, ea, quae breviter enarravi, latius aliquanto dicenda sunt et diffusius. Oedipus igitur ab initio inducitur tanquam societate, qua homines inter se continentur, prorsus exturbatus. A suis eiectus est; hominum frequentiam fugit; victum ostiatim quaerit; vitam aegre sustinet. Quum in agrum Coloneum venisset et in Furiarum luco consedisset civibusque sciscitantibus, quis esset, Oedipum se esse timide respondisset, hi, horrore perfusi, eum propellere student, tutelae, quam promiserant 176, prorsus obliti. Deceptos enim se putant ab Oedipo, qui quum sit homo unus omnium sceleratissimus, in sanctissimum Furiarum lucum penetrarit et praesidium suum imploraverit. Neque dubitant, quin nullis poenis talis homo non sit afficiendus; timent enim vehementer, ne, si rem cum Oedipo habuerint, iram deorum immortalium et sibi et patriae suae concilient 226 — 235. 256. Ita postquam quasi infinita quaedam miseriarum vis, quae ex sceleribus commissis in Oedipum redundasset, descripta est, deinceps, ut dignus appareat, qui in gratiam tum hominum tum deorum redeat, omnis horum scelerum ratio diligentissime proponitur. Quamvis enim sceleratus Oedipus esse videatur, tamen, si verum quaerimus, homo est innocens. Nam quidquid fecit, invitus et insciens fecit, neque magis perpetravit scelera, quam perpessus est. Uxorem, quam duxit, matrem esse ignorabat; quod patrem occidit, poenas ab iis repetivit, qui priores iniuriam intulerant; omnis denique culpa non Oedipi est, sed Laii, qui quum, oraculo neglecto, filium procreasset, fontem omnium malorum, quae secuta sunt, aperuit. Quae quum ita sint, quis dubitet, quin auctores harum rerum fuerint ipsi dii? a quibus quum constitutum esset, ut

tristissimis calamitatibus gens Labdacidarum periret, nullo pacto effugere quisquam potuit. Haec Oedipus quum multis aliis locis 267 sqq. 517. Hermann. 521. 537. 547, tum ea oratione, qua contra Creontem, qui crimina ei obiecisset, se defendit 960 sqq., civibus Atticis persuadere studet. Et persuadet. Nam animos, quos ab initio in Oedipum habebant infensos, paullatim ita remittunt, ut primum quidem omnem rem Theseo committendam esse censeant 295, deinde, misericordia capti, quomodo sanctissimum Furiarum numen placandum sit, amice doceant 461 sqq., denique prorsus reconciliati, profiteantur, Oedipum innocentem hominem esse et probum 1014. Itaque, in fidem receptus, a Theseo ab iniuriis Creontis prohibetur. Et quoniam Oedipus, postquam diu exsulavit, ab Atheniensibus in generis humani societatem restitutus est, eundem in societatem iucunditatum, quibus ipsi fruantur, quodammodo revocare student. Amoenitates enim eius regionis, in qua laborum ac miseriarum quietem invenerit, laudibus efferunt 668 sqq., animumque Oedipi confirmaturi, robur et alacritatem civium suorum praedicant, quorum fortitudo tanta sit, ut mox, Thebanis victis, abreptas filias ad patrem sint reducturi 1044 sqq. Sed etiam illud Sophocles sapientissime instituit, ut Oedipus, quem cives et necessarii sui eiecissent, antequam moreretur, amantissimos liberos secum haberet, et cui vivo ceteri maledicerent, eundem mortuum filiae luctu maxime pio prosequerentur. Itaque quum Antigona a patris latere nunquam discessisset, altera filia, Ismene, Thebis ad patrem profecta, quae filiam decent, praestitit. Sed eadem affert oraculum: quo admonemur, ut oratio nostra iam ab hominibus transeat ad deos. Dii igitur Oedipum, patefactis sceleribus suis afflictum et prostratum, non neglexerunt, sed quum sanctissimam suam maiestatem, quae scelera hominum inulta esse non patitur, exhibuissent, iidem quanta essent clementia et benignitate in eos, qui, imprudentia et errore lapsi, peccata detestarentur et emendare cuperent, ostenderunt. Oedipus autem poenis iusto gravioribus semetipsum propter peccata sua affecerat 439. Sedet propter Iovem Gratia, *Αἰδώς*, quae, quidquid homines commiserunt, condonet 1268. Creon quidem, cui de pestilentia consulenti Apollo praeceperat, ut Laïi interfectorem aut occiderent aut expellerent, quum ab Oedipo filio patrem Laium interfectum et reliqua flagitia admissa esse vidisset, iterum deos consulendos esse censuerat, quid Oedipo faciendum esset OR. 1438. Sed dii bono animo esse Oedipum iusserunt. Spem enim fecerunt, fore, ut aliquando miseriarum onus sublevaretur, ubi primum in locum venisset Furiis consecratum: eius rei se ipsos signum daturos esse vel terrae motum vel tonitrua vel fulgur; et addiderunt, quae civitas Oedipum receptum iusto funere affecisset, ei id saluti fore 84 sqq. Qua spe con-

firmatus, ipse se ἱερὸν et εὐσεβῆ vocat, hoc est, deorum tutelae commendatum 287. Quae quum ita essent, Thebani nihilo secius Oedipum patria exterminatum omnibus laboribus exsilii ac periculis obiecerunt. Altero igitur oraculo a diis admoniti sunt, futurum esse, ut desiderio Oedipi caperentur, in quo uno ipsorum salus sita esset. Hac re commoti, Thebani id egerunt, ut Oedipum, ad fines suos retractum, et in sua potestate haberent et, quod rebus turpissimis commaculatus esset, ab usu patriae ipso prohiberent. Quod impium consilium non perfecerunt. Nam quum ab Ismena, quae Thebis gererentur, patri Colonum allata essent, et ipsi Oedipo exsulanti animus additus est 623. 792, et Athenienses magis etiam incitati sunt ad senem miserrimum recipiendum ac defendendum. Videbant enim, quantam eius curam dii ipsi haberent. Quem quum antea perdidissent, iam recrearunt ac refecerunt 394. 1565. Et qui vivus fuerat homo prorsus singularis et novis suis atque inauditis facinoribus omnium animos quam maxime a se abalienaverat, eundem morientem tanta cura tantaque benevolentia dii amplexi sunt, ut quasi sanctum quendam ac sacrum homines eum colerent. Nam quod ipse Oedipus, quum cognovisset, in quantam scelerum atrocitatem et turpitudinem imprudens incidisset, praesenserat, se neque morbo neque ulla alia ratione, qua homines solent, deletum iri OR. 1455, id dii effecerunt. Consumptus est morte nova et inaudita. Quid multa? postquam punitum est, quod puniendum erat, Oedipus non solum in deorum gratiam rediit, sed ad ipsos etiam deos abiit. Quae quum ita sint, suo iure Chorus, discessurus, pronuntiat:

πάντως γὰρ ἔχει τάδε κῦρος,

quod non magis ad praesidium, Antigonae et Ismenae a Theseo promissum, quam ad omnem rationem referendum est, qua ingentem fluctuum vim, qua Oedipus diu ac graviter iactatus esset, denique compositam esse Sophocles finxit. In qua quidem ratione explicanda tantam deorum clementiam, benevolentiam, rerum humanarum providentiam esse docet pietatemque erga deos parentesque et sermonibus, qui instituuntur, et rebus, quae geruntur, tantopere commendat, ut vel ex hoc uno carmine, Sophoclem hominem fuisse pietate maxime insignem, facile intelligas.

Sed tamen in hac tragoedia inest nescio quid durum et asperum et quod animum christianis praeceptis imbutum et mitigatum laedat. Nam quum Oedipus ipse sit inops, ab omnibus destitutus ac derelictus, quumque deorum hominumque auxilium ipse imploret, ut, misericordia commoti, se in gratiam receptum tueantur ac defendant: quis feret, hunc ipsum Oedipum ab omni misericordia alienum esse, adeo, ut nec patriae, nec Creonti, nec vero filio ipse suo obsecranti obtestantique veniam det, sed tristissimis omnes ominibus dimittat? Quis est, quin animum et

oculos avertat ab duro isto sene tantum non mortuo, coniunctissimis suis dirissima quaeque imprecante? Theseus quidem quum audivisset, quanta in sene supplici esset pertinacia et duritia, admonuerat:

ὦ μῶρε, θυμὸς δ' ἐν κακοῖς οὐ ξύμφορον

592. Sed utilitatis suae rationem ut haberet temporibusque ut inserviret, admonuerat. Qui ubi cognovit, Oedipum sane habere, cur Thebanis irasceretur, admonere destitit, neque postea, quum Oedipus, qui coniunctissimi erant, hos omnes dimitteret inimicissime, inventus est quisquam, qui, quam crudeliter id faceret, quam dure, quam impie, sentiret. Nimirum aliam veteres sequebantur in his rebus rationem et a nostra longe diversam. Oedipum enim, qui non culpa sua, sed peccato patris, sed errore et suo et Thebanorum et matris, scelerum suorum infamiam ac turpitudinem subisset, recreandum esse et restituendum, videbant; ab Oedipo autem restituto aliquid solatii ac salutis redundare oportere ad miseriam, quae in omnem gentem ab Oedipo emanabat, reprimendam, tantum aberat, ut viderent, ut malis huius precibus materiam calamitatis, qua totam domum Labdacidarum delendam esse dii constituerant, etiam augeri aequo animo ferrent*). Unde tristissimum illud carmen profectum est, quo Chorus, postquam Oedipus aegre adductus est, ut filium ad se adire pateretur, miserias vitae humanae deplorat 1211 sqq. Nunquam tempestates, inquit, undique coortae intermittunt, quin vitam hominum perturbent; quo quis diutius in vivis est, eo acriores dimicationes vehementioresque subeundae sunt, ita ut ad tristissimum illud, quo saepius veteres ad miserias ac labores, quibus homines conflictantur, debellandos utuntur, descendat. Ait enim, non nasci, homini longe optimum esse, proximum autem, quam primum mori. Qua quidem sententia quid potest esse tristius? Miseriarum autem multo plenissima erat domus Labdacidarum, quam ira deorum immortalium gravissima praecipitem agebat 965. Ac filii quidem Oedipi quum exitio gentem suam a diis destinatam et quasi addictam intellexissent, initio ad gubernacula reipublicae accedendum sibi non esse statuerant. Sed quoniam fatalis quaedam necessitas eos ad peccandum quasi instigabat, neque patrem, quum patria eiiceretur, quamvis possent, defenderunt ab iniuriaque prohibuerunt, et cupiditate regnandi incensi, acerrimas inimicitias inter se susceperunt 371 sqq. 427 sqq. Quod dissidium fataliter constitutum ne unquam exstinguerent filiosque suos tristis-

*) Itaque adduci non possum, ut sententia, a me in Theologumenis Sophocleis p. 21 not. posita, desistam, quam Lübker, vir doctissimus, in programm. gymn. Schleswig. a 1847. p. 24. not. 40. vituperandam existimat.

sima caede ut perderent, quum Oedipus a diis petisset 421 sqq. 789. 1370 sqq., dii, quod optavit, effecerunt. Polynices enim, neque exsecrationibus patris conterritus, neque sororis Antigonae amantissimis precibus commotus 1414 sqq., iter, quod habebat adversus patriam, perfecit. Frater fratrem infesto telo petiit; frater fratris telo transfixus cecidit. Sed maior etiam vis adversae fortunae in exstirpanda Labdacidarum gente exprompta est, quam Oedipus vel optaverat vel cogitaverat. Qui quum filias suas, quod patrem colerent et, quibuscunque rebus possent, adiuvarent, dignissimas esse arbitratus, quae regnum Thebanorum obtinerent, has deos defensuros esse ac tuituros et aucturos sperasset 1380 sqq., hac spe graviter lapsus est. Nam Antigona misere periit, effecitque mortua, ut etiam Creon, qui filias ab Oedipo exsule in agro Coloneo abstrahere conatus esset 865 sqq., et uxore et filio orbaretur.

Ubi primum enim, Eteocle et Polynice occisis, Argivorum exercitus victus a Thebis oppugnandis discessit, Creon, ad quem regnum civitatis pervenerat, Eteoclem, quod patriam defendens in proelio cecidisset, iusto funere extulit, Polynicem insepultum abiecit, quum, qui patriae bellum intulisset, eum ne sepeliendum quidem in patrio solo esse dictitaret. Et pronuntiare iussit, si quis Polynicem humare conatus esset, hunc capitis poenam esse soluturum. Antigona conata est. Comprehensam custodes, quos Creon cadaveri Polynicis apposuerat, ad Creontem duxerunt. Is neque propinquitatem, quae ei cum Antigona, sororis filia, intercedebat, veritus, neque precibus minationibusque Haemonis filii, qui Antigonam sibi desponsam intimo amore amplectebatur, commotus, capitis damnatam, vivam, ut fame periret, caverna quadam subterranea inclusit. Quo facto, quum Tiresias venisset docuissetque, sacra iam felicia non esse avesque cantu ac volatu suo tristissima quaeque praedicere, atque haec ita fieri admonuisset, quod mortuus Polynices apud superos retineretur, detruderetur ad inferos Antigona viva nefarie: Creon, huius auctoritate conterritus, et Polynicem sepeliri et Antigonam vinculis liberari iussit. Sero iussit. Nam quum ipse ad Antigonam solvendam ad cavernam accessisset, Haemo filius, qui etiam ipse, sponsam suam liberaturus, accesserat, postquam hanc cingulo suo a semetipsa suspensam invenit, dolore confectus, praesente patre manum sibi intulit. Cuius morte cognita, Eurydice mater, coniugem detestata, qui alterum quoque filium Megareum, ut patriam ab Argivis defenderet, oraculo quodam adductus, interfecisset, mortem sibi ipsa conscivit. Superest Creon, et coniuge et filio et nuru orbatus tantoque luctu confossus, quantus in hominem cadere potest maximus.

Has res Sophocles *Antigona* explicavit, et ita explicavit, ut, quae calamitas

divinitus constituta omnem domum Labdacidarum funditus esset eversura, in eam omnes, caeca quadam cupiditate atque iracundia actos, ipsos sua sponte irruere appareret. Quod consilium suum Sophocles nescio an nullo alio loco clarius proposuerit, quam carmine illo gravissimo, quod Chorus, postquam Creon Antigonam cum Ismena morte se affecturum esse professus est, canere instituit 582 — 625. A quo carmine recte interpretando initium faciet, qui ad explicandum aggreditur, quid Sophocles hac tragoedia, quam veteres harum rerum existimatores inter praestantissimas retulerunt, voluerit docere. Felices sunt, inquit, qui nihil unquam mali experti sunt. Nam ubi primum dii rebus adversis domum aliquam labefactare coeperunt, nullum est aut refugium aut auxilium. Mala enim ex malis apta atque inter se nexa non intermittunt, quin patrem, filium, nepotes perdant, nec cuiquam parcitur. Nam ipsi dii, quem perdere cupiunt, eius animum perturbant aciemque mentis praestringunt, ut spe ac cupiditate deceptus, omnia misceat, ut prava bona, bona prava esse videantur. Sed singula quaeque accuratius proponenda sunt.

Ac primum quidem Antigonam Sophocles descripsit fortem quandam mulierem ac strenuam, sed subduram et iusto concitatiorem. Non ignorat, gentem suam diis invisam esse eiusque res ita administrari divinitus, ut, qui originem habeant ab Oedipo, hi omnes radicitus deleantur 1 sqq. Sed quum miseret eam, tum vero etiam pudet, quod se, regiam virginem 32, tanta ignominia afficere Creon conatus sit, ut Polynicem fratrem inhumatum proiiceret. Itaque quod officium sit pietatis et erga deos et erga fratrem et erga parentes 450 sqq. 73. 897 sqq., quamvis et publice vetita sit a Creonte et facillime a custodibus appositis vel prohiberi vel comprehendi possit, tamen consilium fratris sepeliundi init, initum perficit. Atque adeo ei est persuasum, quod fecerit, fecisse se pietatis causa, ut, quum ad mortem ducitur, hanc unam ob causam se duci palam pronuntiet, quod pietatem coluerit:

> *λεύσσετε*, inquit,
> *οἷα πρὸς οἵων ἀνδρῶν πάσχω,*
> *τὴν εὐσεβίαν σεβίσασα* 940.

Atque hoc quidem est Antigonae extremum. Quod ita Sophocles consulto instituit, tum, ut animum Antigonae fortem et invictum ostenderet, tum vero maxime, ut appareret, rem, quam suscepisset, si per se ponderaretur, sane iustam esse et laude summa ac gloria dignam. Neque tamen culpae expers fuit. Divinum enim ius coluit, neglexit ius humanum. Etenim quum Creon, penes quem summum imperium civitatis Thebanorum esset, Polynicem sepeliri publice vetuisset, huius im-

6

perio, ut respublica salva esset, parendum erat. Commovendus potius erat precibus adhortationibusque, ne quid nefarie in Polynicem statueret, quam invito Creonte mortuus humaretur. Quod quum postea Tiresias faceret, sero fecit. Nam qua intemperantia homines suum iam consilium secuti erant, effectum erat, ut ad perdendos ad unum omnes fata quasi ruerent. Antigona igitur quod invito Creonte, civitatis principe, fratrem sepelire instituit, peccavit. In quam rem tota et animo et mente insistebat, adeo, ut et Ismenam sororem, adhortantem, ne temere tantum periculum subiret, contumelia afficeret, et sua pertinacia pertinacem Creontis animum magis etiam exasperaret. Oblita est, praeter pietatem erga deos et propinquos esse etiam alia officia ab hominibus praestanda: quae quum negligeret, quamvis in fratrem pie faceret, tamen Iustitiae, quae omnium officiorum ab hominibus praestandorum curam gerit et providentiam, sanctissimum numen vehementer laesit 853. 872. Itaque hanc perdidit λόγου τ' ἄνοια καὶ φρενῶν Ἐρινύς 603, et αὐτόγνωτος ὀργά 875, ut etiam filia poenas persolveret malorum, quae a patre profecta in omnem gentem dimanaverant 856 sqq. Nam fati divinitus constituti vis invicta est nec evitari potest: quod Chorus carmine suo 944 sqq. probaturus, ea exempla attulit, in quibus aliquid inesset ad animum Antigonae, quae similem casum subitura esset, confirmandum*).

Deinceps de Creonte videndum est. Qui prudentissimus esse reipublicae gubernandae auctor videtur. Nam quod potissimum se in administrandis rebus secuturum esse civibus exponit 162 sqq., deinde, quibus rebus utilitates et publicae et privatae comparentur, quibus non comparentur 295 sqq. 641 sqq., satis prudenter exponit. Sed quum reipublicae rationibus se prospicere et putet et profiteatur, non prospicit. In suas enim res intentus civiles, divinas praetermittit, atque opinionis suae errore adeo ducitur, ut ad eam, quam ipse sibi finxit, auctoritatem reipublicae tuendam et civem et sororis filium et denique hominem mortuum abiiciat insepultum. In eadem est igitur causa, qua Antigona; hic ut leges civiles defendat, negligit divinas, illa ut deos colat, principem civitatis contemnit. Neque vero non eodem ardore eademque cupiditate Creontis animus instigatur, qua Antigonae. Nam quum Polynicem a sepulcri caerimoniis prohibeat, se facturum esse iactat, ne maiore (208) honore afficiatur Polynices Eteocle. Quo tandem maiore honore? Sepeliendus scilicet erat Eteocles, non prohibendus a sepulcro Polynices. Deinde quum nuntiatum

---

*) Itaque qui nuper Antigonam Sophocleam in theatro Berolinensi docendam curaverunt, sapienter instituerunt, ut actrix, quae Antigonae partes gerebat, usque ad extremum hoc carmen in scena remaneret.

esset, exiguam pulveris particulam cadaveri Polynicis iniectam esse, atque Chorus id quidem sibi factum videri dixisset non sine aliqua deorum cura, quam impotenti ira subito exardescit? ut facile intelligatur, eum non tam reipublicae saluti ut prospiceret, quam immani in Polynicem odio captum crudele illud edictum civibus pronuntiasse, ne quis pietatis erga Polynicem officium obiret. Ac tantum abest, ut pietate erga mortuos vel reverentia deorum immortalium commotum esse, qui Polynici pulverem iniecerit, in mentem ei veniat, ut suspicetur, turpissimis rationibus adductos pecuniaque ab inimicis corruptos ipsos custodes, quos Polynici apposuerat, fecisse, ut mortuum sepelirent 278 sqq. Neque enim reputat secum, quanta facultas hominibus insit ad maxima quaeque efficienda; quam facultatem Chorus, postquam Creon abiit, carmine laudat praestantissimo 332 sqq. Quid quaeris? Superbe ac crudeliter Creon se gerit, nec multum abest, quin tyrannus sit teterrimus. Cuius dicta Chorus aut probat, propterea quod Creonti potestas sit faciundi, quod libitum sit 213, aut ita probat, ut etiam, quae contra dicantur, audienda esse censeat 724. Sed ne audit quidem, quae cives sentiant dicantve 688 sqq., neque, quae audit, ferre potest 726 sqq.; postulat, ut sibi obediatur, sive iustum imperaverit, sive contrarium 667. 734; aegre fert, quod cives iugum subire nolint, quod ipse imposuerit 290, adeoque se unum esse dominum civium iactat, ut admonendus sit:

πόλις γὰρ οὐκ ἔσθ' ἥτις ἀνδρός ἐσθ' ἑνός 737.

Is igitur Creon ubi ab Antigona fratrem humatum esse comperit, quum ausa sit, iura deorum suis legibus praeferre 450 sqq., capitis condemnat, quamvis sororis filia sit et omnibus propinquis, quorum praesidium Iuppiter habet, etiam propinquior 486. Deinde ab Haemone imploratus, ut sponsae filii pater parceret, quum ad obstinatum patris animum vincendum Haemo fortiora verba adhibuisset, Antigonam adduci iubet, ut in conspectu filii amantis amata interficiatur 760. Denique a Tiresia admonitus, ut Polynicem sepeliret, ne aves canesque loca sacra commacularent illatis frustis cadaveris inhumati, se a sepulcro arciturum esse Polynicem minatur, etiamsi ad ipsam Iovis sedem coelestem aquilae dilaceratum cadaver apportaturae sint 1040. Ad hanc superbiam quum processisset, lapsus est. Quos enim crudelitate sua ac pertinacia adduxerat, Antigonam et Haemonem, ut, rebus suis desperatis, manum sibi inferrent, ab his ipsis ipse in omnium suarum rerum perniciem ac desperationem prostratus est. Multo potiorem Antigonam habuit Haemo, quam parentem, in quo pietatem adeo neglexit, ut, sibi manum illaturus, impetum facturus esse in patrem videretur 1232. Haemonis morte cognita, mater dolori succubuit. In his tantis ruinis quum dii immortales ostenderunt, quanta esset vis ac maiestas numinis sui ab auctoribus

generis Labdacidarum laesi, tum vero luce clarius intelligitur, in nullam calamitatem non incurrere eos, qui, quum optima sequantur, tamen ira ac cupiditate se abripi patiantur neque, quae obstent, aut quaerant aut curent. Creon legum ac reipublicae auctoritatem defendit: Antigona mortuos violari non vult: Haemo amori, qua Antigonam amplectebatur, nihil non tribuendum ratus, omnem casum fortunae una cum Antigona subire paratus est: Eurydice filii mater amantissima est. Quis dubitaverit, quin ad unum omnes rem sequantur admodum laudabilem? Sed suum quisque agit, reliquis neglectis: suae uni rei intenti, quasi caecitate quadam praestricti, ad summum omnium rerum discrimen ubi processerunt, temeritatis atque inconsiderantiae poenas persolvunt 615 sqq. A moderatione enim et temperantia, qua in omnibus rebus uti longe optimum est, alieni sunt; pietate, impietate, ira, odio, amore praecipites aguntur, ita ut Chorus, cuius in tragoediis Sophocleis haec ratio est, ut, quum omnes rerum, quae geruntur, quasi fluctibus quibusdam iactentur, ipse constantiam teneat ac moderationem animique tranquillitatem — Chorus igitur, ubi Antigonam duci conspexit, veretur, ne ad temeritatem propellatur etiam ipse:

νῦν δ' ἤδη 'γὼ καὐτὸς θεσμῶν
ἔξω φέρομαι τάδ' ὁρῶν 801.

Multisque locis illud admonetur, nihil utilius esse prudentia ac moderatione, nihil inutilius temeritate atque imprudentia. Ad temeritatem autem omnes propelluntur ira: cuius vis in rebus Oedipi eiusque liberorum, quales a Sophocle descriptae sunt, plane est fatalis. Ira Oedipum perditum esse, quum iam supra diximus, tum Creon Oedipum admonet OC. 855. Ira commotus Creon Oedipum deorum et Atheniensium supplicem violare conatur OC. 954. Ira Polynicem ad bellum fratri inferendum stimulat OC. 1420. Ira commotum Creontem tam duriter in Polynicem mortuum consuluisse, explicavimus. Ira denique Antigona periit, qualem ingenitam a patre accepit Ant. 471. 875. 929. Sed quum omnes plus audeant, quam liceat, una Ismene, Antigonae soror, prudenter et moderate facere videtur, quod neque consilium fratris sepeliendi adiuvat et sororem, ut sententia desistat, adhortatur. Contra Creontem, penes quem omnium rerum arbitrium et potestas sit, ut in certamen descendat, commoveri non potest 44 sqq. Quae quamvis videatur prudenter facere, tamen nec officio fratri mortuo praestando satisfacit ipsamque postea sorori non affuisse adeo poenitet, ut, ubi Antigonam a custodibus comprehensam et ad Creontem adductam esse cognovit, ad se quoque facinus pertinere persuadere studeat et cum Antigona mortem oppetere, quam cum Creonte in vivis esse malit 526 sqq. Ferox ingenium Antigonam ad Creontis imperium negligendum armavit; imbecillum ac debile Ismenae

in eandem temeritatem vitiose labitur; utramque sororem Creon stultitiae insimulans 561, semetipsum longe omnium stultissimum esse non videt.

Reliquum est, ut de *Philocteta* et de *Trachiniis* exponendum videatur. Ac de Philocteta quidem vehementer dubito quid statuendum esse censeam, quippe qui non solum ab omni peccato alienus esse videatur, verum etiam laude probitatis atque innocentiae ab ipso poeta afficiatur 684. Nam quum Graeci Troiam proficiscentes ad Chrysen venissent, Philoctetes quum propius ad aram huius deae accessisset, a serpente, arae custode, morsus, insanabile vulnus pede contraxerat. Quod vulnus tantum ei dolorem infligebat, ut saepe facere non posset, quin exclamaret et fletu suo atque eiulatu Graecis sacra facientibus molestior esset. Itaque quum classem ad Lemnum appulissent, Philoctetam forte dormientem exposuerunt: ipsi Troiam proficisci perrexerunt. Desertus et destitutus, tristissimum exsilium decem annorum perpessus est. Neque enim homines tum in ea insula erant: horrida et inculta, mitiora alimenta, quibus homines uti consuerunt, praebebat nulla: venando Philoctetes victum sibi aegre quaerebat: quum vulnus dolorum faces ei admoverat, nemo erat, qui aut salutem afferret aut animum afflictum duntaxat benigna adhortatione erigeret ac confirmaret. Graeci Philoctetae obliti esse videbantur. Sed quum diu Troiam obsidione frustra pressissent multaque proelia vario et ancipiti Marte cum hostibus conseruissent, accidit, ut Helenum vatem, Priami filium, captum in castra sua ducerent. Qui eos docuit, non futurum esse, ut Troia a Graecis caperetur, nisi Philoctetam arcessissent. Divinitus enim constitutum erat, ut Troia sagittis Heracleis invictis caperetur: quas sagittas Philoctetes tenebat. Hac re commoti Graeci Ulixem et Neoptolemum, Achillis filium, miserunt, qui Philoctetam arcesserent. In hac re explicanda Philoctetes Sophoclea versatur. Ulixes ubi Neoptolemum adduxit, ut dolo et mendacio Philoctetam cum sagittis caperet, abit, Neoptolemus cum sociis suis, qui Chori partes gerunt, remanet. Is ubi Philoctetam convenit, fingit, se Troia redeuntem domum contendere; a Graecis sibi iniuriam illatam esse, qui arma patris sui Ulixi potius, quam sibi tradiderint; huic et Atridis se inimicissimum esse, neque se iam ullam rem cum Graecis habere velle, quippe qui ad unum omnes homines sint deterrimi. Quo sermone postquam in intimam Philoctetae amicitiam se insinuavit, deinde iam domum se abiturum esse simulat. Sed exoratur a Philocteta, ut eum secum ducat. Tum homo intervenit, ab Ulixe subornatus, qui nuntiat, a Graecis missos esse, qui et Neoptolemum retraherent et Philoctetam arcesserent. Qua re commotus Philoctetes instat, ut proficiscantur. Sed subito morbi sui impetu compressus, vehementissimis doloribus cruciatur; corpore suo et sagittis Neoptolemo, ut

fido et amico, commissis, somno capitur. Chorus admonet, ut cum sagittis aufugiant. Neoptolemus autem quum ipsum Philoctetam adducendum esse non ignoraret, remanet; experrectum admonet, non domum, sed Troiam proficiscendum esse. Qua re perturbatus Philoctetes iturum se esse negat et sagittas reposcit. Neoptolemum iam doli et mendacii vehementer poenitet, nec, quid faciat, habet: quum subito Ulixes ipse adest, qui primum se Philoctetam vinctum vi abrepturum esse minatur, tum pertinaciter resistentem relinquit et Neoptolemum et sagittas secum aufert. Sed Neoptolemus mox revertitur; contra dicente Ulixe, sagittas reddit; adhortatur Philoctetam, ut sponte secum Troiam proficiscatur, ubi, vulnere suo sanato, maximam gloriam adepturus sit. Quum nihil profecisset, paratus est, id quod principio Philoctetae per mendacium promiserat, domum eum ducere. Profecturos Hercules de coelo demissus retinet: docet, necessario Troiam proficiscendum esse, ut Neoptolemus et Philoctetes una coniuncti urbem capiant. Huic Philoctetes morem gerit et ad exercitum Graecorum laetus contendit.

Non invenio, a Philocteta, antequam in Lemnum venerit, quidquam tale commissum esse, ut in tantos dolores incideret. Nam ut propius, quam par erat, ad aram Chryses accesserit, num eam fuisse dixeris causam tanti mali satis idoneam? Dolores autem Philoctetae, in Lemno insula exsulantis, Sophocles descripsit acerrimos et vehementissimos: qui tantos saepe eius fletus ac clamores excitant, ut fuerint, qui desiderarent decus, gravitatem, constantiam. Sed nobis quaerendum est, cur in tantis doloribus sit. Quos quidem sine causa se sustinere Philoctetae ipsi adeo persuasum est, ut diis maledicat, qui pessimum quemque foveant et omnibus rebus exornent, probos poenis afficiant et perire facile patiantur 446 sqq. Malorumque suorum originem ad solos Atridas et Ulixem, a quo expositus erat, referens, his mala omnia precatur 315. 791. 1019; quos si iisdem, quibus se, dii miseriis affecerint, hoc pro solatio atque adeo remedio omnium dolorum, quos pertulerit, sibi fore sperat 1044. Sed cuius rei originem ab hominibus sibi inimicis repetit, eius auctores dii ipsi sunt. Qui quum constituissent, ut Troia sagittis Herculis caperetur, neque caperetur, priusquam decem annorum spatium intercessisset, Philoctetes, qui illas sagittas habebat, ne primo statim impetu urbe potiretur, a Troia arcendus erat 68. 191. 610. 1325 sqq. 1421 sqq. Arcuerunt eo ipso tempore, quo ad rem contra Troianos prospere gerendam una cum reliquis Graecis sacra facturus erat. Quod autem tot ac tantis malis implicatum dii Philoctetam retinuerunt, tantum aberat, ut crudelitate nescio qua aut invidia ducti, animum suum miseriis eius pascere aut pravorum hominum potius quam proborum curam gerere vellent, ut viam monstrarent,

quae una hominibus ad gloriam et honorem parata est. Quo enim quisque instructior est magnis ac praeclaris rei strenue ac fortiter gerendae facultatibus, eo paratior esse debet ad quodvis genus laborum periculorumque subeundum. Quid enim? quum reliqui Graeci ad Troiam per decem annos pulverem ac solem perferrent, manus consererent, in omnium rerum suarum certamen ac discrimen saepe adducerentur: securusne Philoctetes, qui invictas Herculis sagittas haberet, atque umbra parietibusque inclusus, exspectaturus erat, dum tempus venisset, quo fatalibus suis sagittis urbe facili negotio occupata palmam ceteris praeriperet? A praestantia igitur telorum, quibus utebatur, malorum, quibus premebatur, magnitudo orta est. Quod quum ipse intelligere videretur, tamen veram rei rationem non perspexit. Quamvis enim vereatur, ne fatalis quaedam vis sagittis suis praestantissimis adhaereat, ut mala afferant ei, qui habeat 776, tamen neque sperat, sagittas et sibi et universae patriae salutem et gloriam conciliaturas esse, neque, postquam ab Neoptolemo edoctus est, credit aut iram suam Atridis et Ulixi condonat 1348 sqq. Mori mavult, quam inimicis, hoc est, patriae prodesse; satius habet, in insula deserta solus manere et miseria ac fame aut morsu ferarum perire, quam inimicos sequi 1081 — 1217, telisque, quibus dii Troiam capiendam esse constituerant, non ad salutem gloriamque patriae augendam, sed ad suos inimicos propulsandos et ulciscendos abusurus est 1406. Haec mihi quidem non tam constantia esse, quam contumacia videtur. Quam contumaciam qui vincere conantur, Ulixes et Neoptolemus, vehementer spe sua deiiciuntur. Ulixes quidem, cuiusvis fraudis machinator et architectus, Philoctetam, quibuscunque rebus posset, adducendum esse, ut Troiam proficisceretur, ratus, ad dolum et mendacium descendit. Ac Neoptolemi quidem animum opinione gloriae ita permulcet et pellicit, ut, pudore pulso, ad omnia se paratum atque operam daturum esse promittat, ut, quibuscunque rebus possit, Philoctetam capiat 1 — 134. Sed dolus et mendacium quum in ceteris rebus plurimum possint, in Philoctetae animo vincendo nihil valent. Ulixes quum nihil non aut simulasset aut dissimulasset, formidines ac dolores adhibuisset, assecutus, quod voluit, non est. Sagittas quidem fraudulenter surreptas habet: ipsum, ut sua sponte secum Troiam proficisceretur, non adduxit. Laudandus quidem videtur, quod non suum commodum quaerens, sed patriae ac sociis prospiciens 1050. 1145, hanc fraudis infamiam suscepit. Sed ne in publicis quidem rebus administrandis fraudi ac mendacio, qui se bonum nomen existimari volunt, locum concedent ullum. Neoptolemus autem, adolescens ad dolum atque insidias struendas minime aptus, quum rem eo perduxisset, ut cum Philocteta navem conscenderet, quasi domum profecturus, et misericordia hominis motus et pudore

victus, Troiam proficiscendum esse aperuerat 895 sqq.; deinde, fraude prorsus omissa, repugnante Ulixe, persuadendum potius Philoctetae, quam vim aut dolum adhibendum esse arbitratus, tela reddit 1218 sqq. Et quam sententiam iam antea sociis suis proposuerat 191, in eandem ipsum denique Philoctetam transducere conatur, ut sibi persuadeat, mala sua sibi divinitus immissa esse, ut Troiam profectus et vulnere liberatus, urbe diruta, unus omnium maximam gloriam adipisceretur 1325 sqq. Quis est, qui non multo maioribus laudibus dignam esse censeat honestatem et innocentiam Neoptolemi, quam Ulixis fraudulentiam et turpitudinem? Sed ne sic quidem, quod vult, efficere potest. Nam ut antea simulata sua benevolentia Philoctetae animum sibi primum conciliaverat, deinde, postquam se dolo circumventum esse sensit, exacerbaverat: ita, quum tandem omnem rem, qualis esset, plane ac perspicue proposuisset, tamen gratia, in quam redierat, tantum non valuit, ut obstinatam hominis mentem vinceret. Ita trium hominum moribus sapienter descriptis Sophocles ostendit, quam facile fieri possit, ut, quod in rebus humanis sapientissime a diis ad magna quaedam ac praeclara efficienda constitutum sit, id temere et casu fieri homines putent; hos, si ipsi sibi medelam afferre conentur, malis suis artibus res saepissime ita turbare ac pervertere, ut salus iam expediri non posse videatur. Itaque Philoctetes Sophoclea quum tota in necessitate fati, quod vocatur, explicanda versetur, recte hoc quidem nomine comparari potest cum iis tragoediis, quas Sophocles de Oedipo eiusque liberis fecit. Sed hoc interest, quod in illis tragoediis omnis fati vis vel in scelerum turpitudine vindicanda vel in facinorum audacia comprimenda cernitur, in hac nullum ullius sceleris commissi vestigium deprehenditur, neque effugere deorum decreta, sed exsequi Ulixes et Neoptolemus student. Sed quae est contumacia Philoctetae, diuturnitate malorum corroborata, quidquid consilii ineunt, ad vanum et irritum redigitur. In qua quidem re si quid infuit peccati, hoc dii, ut suum consilium efficerent, non puniendum, sed emendandum censuerunt. Herculem de coelo miserunt. Qui quum ipse, maximis laboribus exantlatis, gloriam immortalem adeptus, ad deos abisset, sane aptissimus est, qui Philoctetam adducat, ut consilio deorum obtemperet. Docet, magnos eum labores perpessum esse, magnam ut adipisceretur gloriam; diruturum esse Troiam omniumque fortissimum habitum iri; sed quum in urbe capienda ab Neoptolemo adiuvandus esset, utrumque admonet, ut deos pie colant; uterque enim quum de Philocteta eiusque sagittis quid dii constituissent non ignoraret, tamen, consilio deorum neglecto, domum, non Troiam abiturus fuerat: iidem igitur, ne iterum in urbe delenda numen divinum contemnerent, admonendi erant. Ab Hercule commonefactus Philoctetes denique malorum suorum

rationem perspexit. Neque enim iniustos esse deos aut crudeles iam queritur, neque ut eos poenis afficiant, a quibus antea se laesum esse existimaverat, precatur. Alacri et laeto animo insulam relinquit, fidum ministrum se diis, quidquid statuerint, praebiturus.

Quidquid diis placuerit, id necessario fieri, denique etiam *Trachiniis* docetur. Sed ut Philoctetes diis auctoribus, postquam diu in calamitatis suae solitudine ac tenebris iacuit, ad lucem salutemque restitutus est, ita ex suspicionibus calamitatum, quae Deianirae animum graviter vexabant, vera et vehemens tempestas, quae et Deianiram et Herculem imprudentes absumeret, coorta est. Philoctetes enim, satis diu, ne temere sagittis suis consilio divino officeret, prohibitus, ad rem gerendam evocatus est; Hercules quum multas res praeclare ac divine gessisset, ut magis etiam divinus exsisteret, a rebus gerendis avocatus est. Sed antequam, quid nobis de hac fabula statuendum videatur, plane explicemus, summam Trachiniarum breviter proponere placet. Deianira igitur quum iam antea propter labores, qui Herculem maritum suum domo plerumque arcerent, multis ac magnis curis sollicitata fuisset, tum maiorem etiam dolorem animo conceperat ex oraculo, quod ei a coniuge nuperrime discedenti relictum indicabat, Herculem, nisi spatio XV mensium intermisso redisset, aut moriturum esse aut reliquam aetatem libere et tranquille acturum. Aberat autem iam mensem quintum decimum. Itaque ab ancilla admonita Hyllum filium ad patrem sciscitandum misit. Quo facto, postquam etiam puellae Trachiniae venerunt aegritudinem Deianirae sublevaturae, nuntiatur, Herculem, hostibus victis, salvum esse et brevi affuturum. Quam rem deinde Lichas probat ab Hercule missus, ut nonnullas mulieres, in his Iolam, quas Oechalia urbe diruta ceperat, domum duceret. Hae mulieres quae essent, quum Lichas se scire dissimulasset, homo, qui primus nuntium de Hercule attulerat, enuntiat: cuius testimonio Lichas convictus, Herculem amore Iolae captum, ut ea potiretur, Oechaliam diruisse confitetur. Quod Deianira quamvis aequo animo ferat, tamen, ut amorem Herculis ab Iola conversum sibi servet, medicamento, quod olim a Nesso acceperat, tinctam tunicam coniugi suo mittere constituit. Cuius medicamenti quum nullum antea periculum fecisset, a Choro admonita, ut caute ad tantam rem tractandam accederet, priusquam rem periclitari posset, venienti Lichae tunicam ad Herculem deferendam tradit. Sed mox, ubi lanam, qua usa erat in tingenda tunica, ad solis radios proiectam, sua sponte dilapsam evanuisse vidit, ancipiti cura premitur, ne veneno Herculem perdiderit. Quod factum est. Hyllus enim patrem tunica a matre missa perire nuntiat. Qua re cognita, Deianira abit sibique manum ipsa infert. Hercules, domum delatus, et

doloribus excruciatus et ira in uxorem exagitatus, se post tot tantosque labores exantlatos misere a femina pessumdari queritur. Sed a filio aegre edoctus, Deianiram non ira ductam, sed ab Nesso illo olim deceptam hoc medicamento usam esse, ut mariti amorem sibi reconciliaret, Hercules iam moriendum sibi esse intelligit; cuius rei oracula iam pridem sibi data proponit eaque iam effici videt. Itaque filio praecipit, ut rogo exstructo se impositum comburat Iolamque uxorem ducat. Hoc pollicitus patrem aufert.

Fuerunt, qui existimarent, in Trachiniis scribendis Sophoclem hoc sibi proposuisse, ut, quanta esset vis amoris, exponeret. Sane quae res in scena geruntur, earum causa est amor. Nam ut Deianira, absente Hercule, neque noctu neque interdiu quiescere posset semperque in fletu esset 102 sqq., desiderium mariti faciebat ab amore profectum; eadem quum nuntiato, Herculem salvum et domum rediturum esse, respiravisset, deinde tamen ut multo etiam vehementiore cura agitaretur, amor in causa erat, ad quem timor accedebat, ne, Iola in suo loco constituta, ex Herculis animo ipsa prorsus efflueret. Itaque quum antea semper animo tulisset satis aequo, quod Hercules multas alias mulieres sectaretur et rem cum iis haberet, tamen in ipsam suam domum a coniuge introduci Iolam, quae omnibus deliciis atque illecebris aetatis ac formae floreret, ipsa contra senesceret, ferendum non esse putavit 531 sqq. Neque tamen aut ira in Herculem aut odio in Iolam commovetur. Et recipit alteram benigne, et alterum ut sibi reconciliet, rebus se uti putat non malis 582. Sed maior etiam vis amoris et multo perniciosissima exstitit in ipso Hercule: ex cuius in Iolam amore, tanquam ex summo fonte, omnis calamitas in Deianiram et ipsum redundavit. Quare non solum singulis locis saepius vis amoris quanta sit, omniumque, quae fiant, auctorem et quasi parentem amorem esse et Venerem, ostenditur 441. 860. 893, sed toto etiam carmine vis amoris a Choro celebratur 497 sqq. Quae quum ita sint, tamen non transtulisse omne suum consilium Sophocles ad describendum, quantam vim in res humanas amor haberet, neque in Deianira, sed in Hercule ipso summa huius tragoediae vis verti mihi quidem videtur. Quemadmodum pictores facere solent, ut, in quam partem totius tabulae eos, qui spectant, animum acrius intendere volunt, hanc in clariore luce positam tamen circumdent aliis figuris, quae quamvis quasi tenebris quibusdam circumfusae sint, toti tamen operi lucem afferant omnemque eius vim ac consilium patefaciant: simillime Sophocles quum Deianirae ingenium et consilium et calamitatem describeret, huic Herculem apposuit, cui quod impendet oraculum, id omnem huius tragoediae vim et consilium aperit. Neque enim amor quid calamitatis effe-

cerit, sed unde ipse, tam calamitosus, exstiterit, quaerendum est. Ac primum quidem non videtur praetereundum esse, quam sententiam Deianira, in scenam primum progressa, proposuerit, eandem a nutrice, postquam mortem sibi ipsam dominam suam conscivisse narravit, repeti: incertas esse res humanas; antequam suam quisque aetatem peregerit, non posse diiudicari, utrum bene degat an secus, neque esse crastinum diem, nisi, qui praesens agatur, feliciter transactus sit 1. 943. Qua quidem gravi sententia Deianira metum suum indicat, ne qua calamitas suis rebus magna impendeat, nutrix hanc calamitatem ingruisse probat. Deinde vero est oraculum, quo constitutum esse iam ante dixi, Herculem, nisi mensibus XV post novissimum suum discessum redux factus esset, aut diem suum obiturum esse aut reliquam aetatem libere et secure acturum. Ad quod oraculum Deianira omnem suum timorem ac sollicitudinem refert. Cuius oraculi mentionem quum tam saepe faciat 46. 76. 155 sqq., et Licham nuntiantem, Herculem, hostibus victis, sacra facere, interroget, num quo oraculo motus faciat 239, quumque Chorus ipse ab hoc oraculo calamitatis, quae in Deianiram et Herculem invaserit, causam et originem repetat 821 sqq., dubitari non debet, quin in auctoritate oraculi defendenda omnis huius tragoediae vis et consilium versetur. Accedit, quod Hercules, in scenam prolatus, quum multa questus a diis et ab hominibus, ut se occiderent, petisset et veritus, ne ab uxore odio sui novisque Iolae amoribus concitata tantis malis affectus esset, filium hanc adducere iussisset, ut poenas, quibus digna esset, sibi daret, postquam Deianiram non ira commotam, sed errore ductam medicamento usam esse cognovit, quod Nessus olim ei dedisset, subito conquiescit. Redit enim in oraculorum memoriam, iam pridem de morte sua sibi datorum 1157 sqq. In quibus quum esset, se a nullo vivorum, sed a mortuo periturum esse, intellexit, quoniam veneno Nessi, quem ipse interfecerat, periret, quietem et libertatem, ab oraculo, quod nuperrime Dodonae acceptum Deianirae reliquerat, promissam, quietem esse mortis 1173. In eadem sententia Chorus est 830; in cuius carmine quae δολοποιὸς ἀνάγκα Herculem veneno Centauri unctum perdere dicitur 832, quamvis ad dolum Nessi eiusque fatalem sanguinem referri possit, tamen latius patet, quam Hermannus voluit. Equidem referendam esse potius dixerim ad hoc ipsum oraculum, de quo quaerimus. In quo quum ita positum esset, ut Hercules, XV mensibus praeteritis, aut moreretur aut, omnibus laboribus superatis, in posterum beate viveret, quumque ipse et Deianira in spem venissent 200 — 224. 1171, fore, ut haec, quae laeta oraculum praedixisset, efficerentur, utrumque spes vehementer fefellit. Hercules Iolam domum ducendam curavit, ut sibi omnibus curis soluto pro uxore esset; hos amores propulsura

iusta uxor, ut Herculis animum sibi reconciliaret, ad Nessi medicamenta confugit: his autem rebus via munita est, qua sors a diis constituta incederet et utrique necopinanti calamitatem maximam afferret 850. Atque Hercules quidem quum Iphitum turpiter cecidisset 274, neque ulla honesta causa commotus, sed turpi Iolae amore ductus Oechaliae bellum intulisset 360, et uxorem suam amantissimam neglexisset, harum rerum poenas dedit, ut ab omnibus humanis vitiis atque flagitiis purgatus, dignus exsisteret, qui ad deos abiret. Notum enim erat omnibus, qui spectabant, Herculem in rogo impositum, quum flammis circumveniretur, subito in coelum esse sublatum. Deianiram autem, quod specimen probae ac fidae uxoris tuo iure dixeris, tam duro exitio exstinctam esse, est quidem, quod te misereat; sed quum uxor esset tanti ac tam clari viri, in omnem eius fortunae societatem atque communionem necessario adducta est, neque vero aberat vel a trepidatione aliqua, quum tempus, dum Hercules rediret, exspectare non posset et diis ipsis quodammodo tacite succenseret 201. 228, vel a levitate, quippe quae, priusquam medicamento suo uteretur, ne periculum quidem tantae rei fecisset. Ne Licham denique praeterisse videamur, mendacii poenas dedit 780.

Reliquum est, quoniam de singulis tragoediis quae nobis viderentur, expositum est, ut de peccati in tragoediis Sophocleis vi et natura universa dicendum esse videatur. Quae quidem res non longam desiderat orationem. Facile est enim ad intelligendum, Sophoclem statuisse, esse vim summam numenque, quod rebus humanis praeesset, neque quidquam esse, quin ad huius numinis arbitrium esset referendum. Itaque in omnibus rebus, quae fiunt, certa quaedam lex est, quam negligere ac migrare nemo impune potest. Perficitur, quod ab initio constitutum est ut fieret, quamvis multa et magna impedimenta obstare videantur. Saepe quidem casu ac fortuito fieri dixeris, quae fiant, neque consilium esse supremum, quo omnia revocanda sint: omnia turbantur, omnia miscentur, neque quisquam est, qui in tanta rerum perturbatione aut verum videre aut, quem exitum res habiturae sint, prospicere possit. Homines enim libero suo arbitrio utuntur: res suas, ut visum est, obeunt; ut quisque sibi optimam causam defendere videtur, ita ardentissime eo, quo tendit, se pervenire cupit. Sed ubi, quae implicatissima videbantur, explicata sunt, ubi tempestates, quae gravissimae concitatae erant, sedatae, ubi angustiae, quibus circumclusi tenebantur, patefactae sunt: tanta subito quasi lux quaedam oboritur, ut consilium fuisse, ad quod, quae temere et casu fieri crediderant, ad unum omnia prudenter revocata sint, omnes confiteantur vel inviti. Hoc numen summum, cuius in res humanas potestas nullis circumscripta est finibus, quale est? Vulgi quidem

apud veteres opinio erat, Fatum esse nescio quod triste ac morosum, quo ipsi dii inferiores essent cuique obtemperarent. Cui vulgari opinioni etiam Cicero orator quum aliquid interdum tribuendum censeret, haec in oratione Catilinaria III. posuit: „haruspices — — imperii occasum appropinquare dixerunt, nisi dii immortales omni ratione placati suo numine prope fata ipsa flexissent.“ Sed non fuit haec sententia hominum doctorum, neque dubito repetere, quod ante hos quatuor annos in Theologumenis Sophocleis dixi, Fatum, quod praeter aut adeo contra deorum immortalium voluntatem rebus praeesset, inter commenta ablegandum esse neque ullum locum apud Sophoclem habere posse. Sophocles enim, poeta maxime pius, quum deos omnes, tum vero Iovem, summum deorum, ubique rebus humanis gubernandis praeesse voluit. Quod quum ex ea ratione, quam in quaque tragoedia adornanda secutus est, luce clarius intelligitur, tum tot locis singulis probatur, ut, si omnes adscriberem, fines huius scriptionis longe excederem. Unum afferam. Fati enim vim num forte vehementiorem unquam exsistere potuisse putas, quam in Labdacidis exstitit? Quorum domum ubi primum concussit, calamitates a calamitatibus excipiebantur, neque salus allata est aut finis factus, donec omnes prostrati iacerent. Quod Sophocles ubi gravissimo carmine deploravit Ant. 582 sqq., summis laudibus summam Iovis potentiam effert:

τεάν, Ζεῦ, δύνασιν τίς ἀνδρῶν ὑπερβασίᾳ κατάσχοι,
τὰν οὔϑ' ὕπνος αἱρεῖ ποϑ' ὁ παντογήρως,
ἀκάματοι ϑεῶν οὐ
μῆνες· ἀγήρῳ δὲ χρόνῳ δυνάστας
κατέχεις Ὀλύμπου μαρμαρόεσσαν αἴγλαν.

Quid efferret, si nihil esset Iuppiter, nisi armiger quidam et satelles Fati? Dii igitur immortales et auctores et moderatores sunt rerum humanarum. Hi quid sibi placeat, tum oraculis patefaciunt, tum iis legibus, quae hominum animis insitae neque exstingui unquam possunt neque violari debent OR. 865. Ant. 454. Qui deos colunt seque suasque res in eorum fidem committunt, tuti sunt et placide ac tranquille aetatem suam degunt; qui negligunt et superbiae insolentiaeque se dant, labuntur et poenas diis persolvunt OR. 873 sqq. cf. Ant. 127. Trach. 280. al. Qui modeste ac temperanter se gerunt, hos dii diligunt; malos ac superbos oderunt Ai. 133.

Καλὸν φρονεῖν τὸν ϑνητὸν ἀνϑρώποις ἴσα fragm. 311.

Sed homines quum tam debiles sint atque infirmi, tamen, quae est tum levitas

eorum imprudentiaque, tum animus ad quidlibet tentandum promptus et audax, quasi penes ipsos summum omnium rerum arbitrium sit, quo ira et cupiditas ac libido rapit, temere sequuntur. Ita fit, ut quasi certamina quaedam conserantur inter auctoritatem deorum hominumque temeritatem: qui ubi diu et multum reluctati sunt in multasque ac falsas spes venerunt, denique aut concidunt et manus dant, aut, si quid adepti sunt, adeptos se esse non suis viribus aut artibus, sed deorum immortalium consilio et moderatione confitentur. Descendunt autem in eiusmodi certamina homines aut nimio studio gloriae atque honoris ducti, ut Aiax, aut ira ac libidine inflammati, ut Clytaemnestra, aut errore quodam decepti, levitate animi abrepti, confidentia, ferocia, contumacia incitati, quibus quidem rebus tota Labdacidarum gens eversa est, aut ardore quodam amoris incensi, ut Hercules et Deianira, aut denique calliditate et quibus malis artibus alius alium circumventum capere studet, quibus usi Ulixes et Neoptolemus Philoctetam, quum summopere studerent, tamen non flexerunt. His in rebus explicandis omnis ars Sophoclea versatur. Quas Athenienses quum coram in scena geri praesentes viderent, facere non poterant, quin sibi persuaderent, nihil magis hominibus cavendum esse, quam ne quo graviore motu mens perturbaretur, nihil magis studendum, quam ut in rebus omnibus tranquillitatem animi ac coustantiam, modestiam ac temperantiam tuerentur. In altero summa sita est virtus; in altero summum atque unum peccatum.

Corrige p. 24. l. 4. quo.

Schulnachrichten.

Erster Abschnitt.

Allgemeine Lehrverfassung.

Prima.

Ordinarius: Herr Professor Lindemann.

A. Sprachen.

I. Deutsche Sprache. Die erste Abtheilung der Litteratur-Geschichte nach Hüppe. Lesung und Erklärung von Göthe's Hermann und Dorothea, des Spaziergangs von Schiller und des „die Sinne" überschriebenen Gespräches von Stolberg, sowie mehrerer Gedichte neuerer Dichter. Leitung der freien Vorträge, deren Stoff größtentheils aus der Litteratur-Geschichte genommen wurde. 2 St. Hr. Prof. Lindemann.

II. Lateinische Sprache. Cic. Disput. Tuscul. l. I. II. III. Die Uebersetzung deutsch, die Erklärung lateinisch. Cursorisch wurde gelesen und, wo es nöthig war, lateinisch erklärt die Rede Cicero's pro Milone und die erste Hälfte der Rede pro Murena. Correctur der lateinischen Aufsätze und der Exercitien aus Seyffert's Palaestra Ciceroniana; Extemporalien aus Muret und zum Theile aus van Heusde init. philos. Platon. Syntaxis ornata nach Zumpt. Freie lateinische Vorträge und Disputir-Uebungen über Gegenstände des Alterthums. Privat-

lectüre: Cic. Cat. M. — Laelius. — De off. l. III. 6 St. Hr. Gymnasial-Lehrer Dr. Peters.

Horat. Carm. l. III. IV. Zwölf Oden wurden memorirt. Sat. l. I. 3. 4. Vorher Einleitung in den Dichter. 2 St. Brüggemann.

III. Griechische Sprache. Gelesen und erklärt wurde Plato's Eythyphron und Phädon, sowie die Antigone des Sophocles von V. 400. Grammatik und schriftliche Uebungen. 4 St. Brüggemann.

Hom. Iliad. l. I. II. III. IV. X. 2 St. Hr. Prof. Lindemann.

IV. Französische Sprache. Athalie par Racine. Grammatik nach Müller und zwar die Lehre von dem Gebrauche und der Folge der Tempora, von dem Indicativ, Conjunctiv und Infinitiv. Correctur der schriftlichen Arbeiten. 2 St. Hr. Gymnasial-Hülfslehrer Raabe.

V. Polnische Sprache. Cursorische Lectüre prosaischer und poetischer Stücke aus den Nowe Wypisy Polskie mit grammatischer Erklärung der schwierigeren Stellen. — Fortsetzung und Beendigung der Formenlehre nach Poplinski's Grammatik und Uebersetzung entsprechender Stücke aus dem Elementarbuche. 2 St. Hr. Gymnasial-Hülfslehrer Sommer.

VI. Hebräische Sprache. Die Syntax nach der Grammatik von Gesenius, verbunden mit der Lectüre von 1. Mos. 2, 4 — 3, 24; 22; Psalm. 19. und 72. 2 St. Hr. Religionslehrer Lic. von Prądzyński.

B. Wissenschaften.

I. Religionslehre. 1) Für die katholischen Schüler. Evangelium des h. Johannes nach dem Urtexte. — Kirchengeschichte bis zum zweiten Zeitraume nach Martin. In beiden Lectionen möglichst ausführliche Behandlung der einschlagenden Glaubens- und Sittenlehren und zwar seit dem 1. Mai c. für die deutschen Schüler in deutscher und für die polnischen Schüler in polnischer Sprache. 2 St. Hr. Religionslehrer Lic. von Prądzyński. 2) Für die evangelischen Schüler. Religionslehre nach Schmieder's Lehrbuch. Die zweite Hälfte der Apostelgeschichte und die vier ersten Capitel des Römerbriefes wurden im Grundtexte gelesen und erklärt. 2 St. Hr. Superintendent Annecke.

II. Philosophische Propädeutik. Logik nach Esser. 2 St. Hr. Prof. Lindemann.

